453
451
457
447
462
442
502
402
552
352

longum tractum de occidente protensum cum multis brachiis extentis per diversas regiones mundi usque in orientem extremam, a quo tractu procedunt montana Arabiae, in quibus est mons Sinai et Libanus et montana nostra, quae omnia cohaerent, nisi quod interdum fluminibus secantur, sed statim ab alio littore resurgunt. Istis adhaerent montes Armeniae et Cerauni mons (**223 a**), quamvis interdum vallibus et lacubus ac fluminibus dividantur.

Incidit autem dubium simpliciter sic de montibus legenti: unde montes orientur? Et an facti sint a principio? pro quo rudem nota responsionem. In principio terrae globus stabat in medio aquarum undique aquis circumdatus, secundum Wilhelmum, sed Dei clementia factum est, ut ignibus siderum exsiccaretur et exhauriretur aqua de superficie partis superioris terrae pro hominum et bestiarum habitatione, sicque factum est, ut mare ex toto exclusum esset a terra, nec esset aliud mare, nisi oceanus, de cujus medio terrae globus elevabatur, nec tunc erant montes nec valles, sed terrae globus planus et delitiosus, ad suum tendens centrum. Deindae autem multiplicatis hominibus, ut facetia poetica utar, venit Jupiter et quinquies lustravit universam terram, desideransque ipsam latissimam et aquis in medio pro commoditate indigentem, Herculem filium suum misit in occidentem, ad marginem, qua Oceanus a terra excludebatur, qui ipsam parietem petraeam, quae perpetuo jugo et continuo vincta fuit, rupit et divisit sicque oceano gurgitem fecit, sicque effluendi per medium divisi rupis locum dedit, et ita mare mediterraneum, quod ante non fuit, terris intromisit per medium Calpe et Abilae. Calpis est, ubi pars parietis illius in parte Hispaniae. Abila est alia in parte Mauritaniae, et illo angusto freto Europa ab Africa dividitur. Cum ergo mare incurreret terram, divisit eam in tres principales partes, Asiam, Africam, et Europam, et ad ejus introitum eruperunt flumina et fontes et lacus; et pluviae et venti et diluvia facta sunt, et terra mollis inventa a solo loco mota est, duraque et solida remansit. Unde ex his omnibus, item ex inundationibus et diluviis, ex ventis et ex terrae motibus et ex eruptionibus aquarum de terra et ex corrosione aquarum maris et fluminum generati sunt montes et valles et campi montibus cincti.

Alpes ergo montes dicuntur ab altitudine, ad quorum cacumina non nisi per altos pedes collium pervenitur, suntque excelsis

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;